Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Johannis Mulmanni, SS. Theol. dum viveret, Licent. ejusdemq[ue] Prof. Publ. ord. ad D. Nicolai Archi-Diac. & Alumnorum Electoralium Ephori, in Academia & Ecclesia Lipsiensi, Commentarius In Librum ...

Mülmann, Johann

Dresdæ, MDCCI

VD18 10367071

Caput XXIII.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18377

Visual Library

ritas hominum ſiniſtris rumoribus penè ſepulta & obruta tandem in lucem revocatur Pſ. XXXVI, 6. II. Si innocentes ſuſpicionibus probroſis liberantur. III. Si peccata devitantur, ex v. 31.

XI. De errorum correctione.

Iſraelitæ de veritate cauſæ rectè informati, malo propoſito abeunt. Sic errores nemo teneat mordicùs: Sed DEo potius laudem & veritatis gloriam emendatione vendicet. Nam, ut *Auguſtinus* dicere conſvevit: Errare humanum eſt, perſeverare autem in peccato diabolicum. It. *Cic.* in Philipp. *Cujusvis hominis eſt errare, nullius niſi inſipientis perſeverare in errore.*

CAPUT XXIII.

UBi Joſua animadvertit, ſe â vitæ ſuæ termino propius abeſſe, indicit celeberrimam πανήγυριν, in qvo omnibus præſentibus modum & viam reliqvæ terræ occupandæ præſcribit, eumqve oſtendit eſſe poſitum in vera pietate & obedientia erga legem DEi: Nam ſi eam unicè & fideliter obſervaverint, tantâ florebunt belligerandi felicitate, ut vel unus Iſraelita mille Cananæos in fugam convertere poſſit: contrà ſi ab eadem ſceleratè defecerint, & abominationibus gentilibus ſeſe contaminaverint, tandem DEI adverſus ſe furorem experientur, ut ſubitò vel è medio tollantur, vel qvi ſuperſtites fuerint inimicorum ſævitia veluti laqveis, flagellis & ſpinis miſerè vexentur.

Partes capitis duæ sunt: I. habet *concilii descriptionem*, usq; ad v. 3.

II. Continet *orationem Panegyricam* ad populum.

DE PRIMA PARTE.

Ad *Concilii descriptionem* pertinent circumstantiæ qvatuor:

I. est ἀφορμὴ i. e. *oportunitas & tempus*, & petitur â pace Cananæorum excisionem subsecuta v. 1.

II. πανηγυρίς seu *primarius Concilii autor* est Josue, hic autoritate sua conventum cogit, v. eod.

III. πρεσβυτέρη Josue est senectus sua fermè extrema.

IV. *Objectum* & qvi convocantur sunt in genere omnes Israelitæ, & τοῖς πρεσβυτέροις majores natu, principes, Judices & præfecti v. 2.

v. 1. *Evoluto multo tempore.*) Hebr. *Et fuit â multis diebus, postqvam reqviem dedit Dominus Israel ab omnibus inimicis, qvi erant in circuitu.* Hîc nomine *multorum dierum*, intelligimus per *synecdochen speciei more* Hebræorum multum tempus seu aliqvot annos. Numerari autem debet qvies ab ipsa terræ promissæ divisione, qvæ incidit in annum imperii Josuæ octavum, â qvo usq; ad obitum suum sunt anni undecim: præfuit enim in universum politiæ Israeliticæ 18 annos, qvemadmodum supra probavimus cap. XIV, 10. & 11. Sunt ergò duo isti anni dies multi, in qvorum ferè decursu hæc panegyris instituta est. Qvid autem rerum in hoc temporis intervallo gestum sit, nullibi exprimitur, idq; propterea, qvia â bellis cessatum fuit.

v. 2.

v. 2. Et vocavit Josua totum Israelem, seniores ejus &c.) Qvatuor erant in unaqvaqve Urbe officiorum gradus: 1. הַזְּקֵנִים *sedes*, vel *Senatus*. 2. רָאשֵׁי אָבוֹת *capita patrum*, seu familiarum, h. e. singularum tribuum primates primi & eminentiores, in Urbe tribuni. 3. הַשֹּׁפְטִים *Judices*, qvi jus dicebant. 4. הַשֹּׁטְרִים *Apparitores*, qvi res judicatas exeqvebantur, & baculo ac loro populum ad obedientiam atq; officia adigebant. Sicut apud *Turcas* custodes civitatis aut officiales gestant baculos, qvibus litigantes, aut alteri injuriam facientes, puniunt.

DE SECUND A PARTE.

Oratio habet *partes qvinq;*, 1. *Exordium*. 2. *Narrationem*. 3. *Propositionem*. 4. *Confirmationem*. 5. *Epilogum*.

In Exordio captat Josue benevolentiam & attentionem â personæ suæ senectute. Nam senectus conjuncta cum virtute dicentibus & admonentibus solet magnam conciliare autoritatem v. 2.

In Narratione recensentur beneficia partim præterita, partim futura. *Præterita* sunt 1. Israelitarum protectio v. 3.

2. Genitum deletio. V. T. Omnes gentes delevi versus occasum solis, ex Hebræo textu, ex eod. versu.

3. Terræ distributio: V. T. Sorte divisi omnem terram &c. v. 4.

Futura sunt reliqvorum Cananæorum extirpatio & terræ possessio v. 5.

Landesbibliothek Oldenburg

Propositio est gemina seu bimembris: Constat enim. 1. προτρεπτῇ *adhortatione*, ad legis divinæ sedulam & accuratam observationem, 2. ἀποτρεπτῇ i. e. *dehortatione*, à cultu gentilium numinum. v. 7.

Confirmationis argumenta sunt hæc: I. Sumitur *ab honesto* & æqvo. V. T. *Qvod fecistis usq; in diem hanc* v. 8. Sensus est: Qvod hactenus rectè fecistis, id posthac qvoqve rectum erit. Sed rectè fecistis hactenus adhærendo Domino DEo vestro:

E. etiam posthac.

II. Argumentum sumitur *ab utili*: Qvia DEus gentes è conspectu vestro auferet v. 9. Amplificatur hic locus 1. συγκρίσει i. e. *comparatione*. V. T. *Unus è vobis persequetur mille hostes* v. 10. 2. αἰτιολογία, *qvia Dominus pro vobis præsens pugnabit*. v. eod. 3. ἐπανορθώσει eorum, qvæ dicta sunt: V. T. *Hoc tantùm curate diligentissimè, ut diligatis Dominum* v. 11.

III. Argumentum sumitur *ab inutili* seu pernicioso. Amplificationis autem gratia notentur hæ figuræ 1. ἀνάθεσις peccatorum & suppliciorum. *Peccata* sunt consociatio cum gentibus 1. in erroribus. 2. in connubiis. 3. in amicitiis v. 12. *Supplicia* verò partim sunt hostium tyrannis, partim verò de terra deletio, v. 13.

2. παθοποιία: Nam movet Josue affectus mentione suæ mortalitatis & secuturæ prosperitatis promissione v. 14.

Epilogus repetit 1. argumentum *ab utili & inutili* v. 15.

2. *Causam* pœnarum duplicem: ut est pacti transgressio & idololatria v. 16.

3. ad-

3. additur προηγουμένη in DEo, qvæ est furor seu justus Zelus ob hominum malitiam.

QVÆSTIO:
An potestas universalia Concilia convocandi sit penes summum Pontificem?
Negatur.

Ratio sententiæ negativæ petitur ex textu *ab exemplo* laudatissimi viri. Nam v. 2. convocat concilium Oecumenicum non summus Pontifex Eleazar, sed Josue politiæ Israeliticæ Monarcha & princeps: V.T. *Vocavit Josue omnem Israelem.*

At Papa non est Monarcha alicujus politiæ.

E. non habet autoritatem & potestatem concilia universalia convocandi. Hoc exemplum Josuæ imitati sunt Christianissimi qviq; Imperatores. De Imperatore *Constantino* affirmat *Eusebius* lib. 1. de ipsius vita cap. 37. Qvod velut communis Episcopus â Deo constitutus, ministrorum DEi coëgerit concilium, & in media istorum freqventia ac consessu adesse, & unà considere non dedignatus sit: Indixit idem *Concilium Niceæ* urbis Bithyniæ, teste *Sozomeno* lib 1. cap. 16. Et *Tyri*, eodem teste lib 2. cap. 24. & *Eusebio de vita Constantini* lib. 3. cap. 6.

Concilium Oecumenicum secundum convocavit *Constantinopoli Theodosius Imperator*, ut est apud *Sozomenum* lib. 7. cap. 7.

Concilium Constantinopolitanum secundum, aliàs generale qvintum, mandato *Justiniani* Imperatoris coactum est, ut scribit *Evagrius* lib. 4. hist. Eccles. cap. 11.

Ex his certum eſt, Imperatores Chriſtianos in congregandis piis conciliis fuiſſe ſtrenuos, non Pontificis alicujus, ſed Joſuæ politici Principis æmulatores.

Affirmatur â Pontificiis.

Bellarminus pro parte affirmativa lib. 1. de Conc. & Eccleſia cap. 12. ita argumentatur:

I. Nullum concilium eſt legitimum niſi congregetur in nomine Chriſti Matth. XVIII.

At congregari in nomine Chriſti eſt ex autoritate Pontificis ſummi convenire.

E. qvod congregatur Pontificis ſummi autoritate, eſt legitimum concilium.

MIN. *probatur*. Qvia Chriſtus dicit: Non Tyberio, ſed Petro, primo (ſi diis placet) Pontifici: Paſce oves meas.

II. Concilium legitimum generale ab eo indici debet, qvi poteſt omnes cogere.

At Imperator non poteſt omnes cogere, ſed Papa.

E. â Papa debet indici.

MIN. *Probatur*: Qvia nullus unqvam Imperatorum totam Eccleſiam ſubjectam habuit, etiam qvoad actiones civiles, ut eam habet Pontifex ad actiones ſpirituales. Nam Imperator vix unius provinciæ Epiſcopos ad Concilium cogere poſſet. Nec enim Itali, Hiſpani, Galli, Imperatori ſubjiciuntur, ſed habent ſuos proprios reges, vel principes temporales.

III. Concilia provincialia indicuntur â Metropolitano i. e. Epiſcopo: Et nationalia â Patriarcha. Ergò concilia generalia non ab Imperatore, ſed â ſummo Pontifice indicenda ſunt.

IV. Con-

IV. Confugiunt Jesuitæ ad Canonem qvendam Apostolicum & ad exempla eorum, qvæ eo nomine approbata sunt, qvod sine autoritate Pontificis conflatæ fuissent.

λύσις.

Si hæ rationes qvicqvam valent, grave necesse est peccatum commisisse Josuam, qvod sine autoritate summi Pontificis generalem Synodum conscripserit. Qvod exemplum vel unicum omnibus Pontificiorum fulcris diruendis sufficere posset. Libet tamen ad singula respondere ἀντιπίπτοντα.

Ad I. Resp. Minor est falsissima: Nam Maria & Elisabeth conveniunt non ex autoritate Pontificis alicujus, & tamen nihilominus congregantur in nomine Christi. Sic discipuli circa tempus resurrectionis Dominicæ in nomine Christi sæpè confluunt: sed cujus Pontificis autoritate? Ostendat *Bellarminus* literas convocatorias Petri. Deinde qvi autoritate Pontificis Romani conveniunt, qvi contra & præter S. scripturam nova dogmata cudere solet & veritatis lucem extingvere conatur, neqvaqvam in nomine Christi congregantur, qvia tale institutum pugnat cum Christi gloria & doctrina. *Minoris probatio* valdè inepta est, ne dicam, ridicula: Christus dicit Petro: *Pasceoves meas*: E. dat Petro autoritatem convocandi concilia generalia. *Ratio absurditatis* I. qvia cum Petrus debeat qvotidiè pascere oves suas, seqveretur, qvotidiè qvoqve concilia generalia esse celebranda. II. Secunda ratio: Qvia etiam Petrus ad omnes verbi divini ministros dicit: Pascite gregem Christi. Et *Paulus* Act. XX, 28. E. Petrus dat autoritatem convocandi

di concilia generalia omnibus verbi ministris: Ergo frustrà hanc potestatem assignant Jesuitæ summo Pontifici.

Resp. ad II. argumentum: *Major est falsa*, si accipiatur de potestate generalissima in universum terrarum orbem, qvalem nec Josue qvidem habuit, & tamen legitimum concilium convocat. Deinde MINOR cum sua probatione est falsa: Nam Papa si omnes posset cogere, jamdudum Lutheranos coëgisset, redire ad sinum Romani scorti, qvin imò potestas cogendi, unà cum gladio politico denegata est omnibus ministris Ecclesiasticis verbo Christi: *Vos autem non sic.*

Resp. ad III. Distingvo inter conciliorum provincialium indictionem spontaneam, qvæ etiam inter Episcopos esse potest, tamen cum consensu magistratus politici: Et inter indictionem demandatam conciliorum generalium, qvæ non est nisi Imperatoris.

Resp. ad IV. Canones & exempla cum Scriptura S. pugnantes apud rectè credentes nihil fidei merentur.

QVÆSTIO II.
An liceat cum infideli matrimonium contrahere fideli?
Negatur.

Ratio I. *ab effectu*: Qvicqvid DEus severè punire minitatur, id licitum non est:

Sed DEus matrimonia cum infidelibus inita severè punire minitatur.

E. talia matrimonia non sunt licita.

MA-

Major est manifesta. Minor constat ex versu textus 12.

II. Ratio *ab interdicto DEI*, qvod exprimitur Exod. XXXIV, 16. *Non accipias uxorem de filiabus eorum filiis tuis.* Et Devt. VII, 3. *Non sociabis cum eis conjugia.* Et Paulus 2. Cor. VI, 14. vetat idem jugum trahere, cum infidelibus: sed matrimonium est jugum aliqvod.

III. *Ab exemplo* Abrahami, qvi juramento servum suum obstringit, ne Isaaco ex Cananæis qværat uxorem Gen. XXIV, 3.

IV. Ratio *ab adjuncto*: Qvia fidelis partis salus versatur in magno discrimine, qvod testatur Salomon, sua apostasia, ad qvam mulierum gentilium illecebris compulsus fuit.

Sententia Affirmativa.

I. Illicita matrimonia sunt solvenda.

Sed matrimonia fidelium cum infidelibus non sunt solvenda.

E. non sunt illicita.

Majorem probo, qvia injusta fœdera sunt rata.

Minorem probo ex 1. Cor. VII, 13. *Si mulier habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum:* Id ipsum Petrus vult 1. Pet. III, 1.

II. Conjugium sanctificatarum personarum est legitimum.

At fidelis & infidelis conjugia sunt sanctificatarum personarum conjugia.

E. sunt legitima.

MIN. probatur ex 1. Cor. VII. 14. *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem* &c.

Λύσις.

Resp. ad argumenta sententiæ affirmativæ & qvidem ad primi MINOREM per distinctionem: Matrimonia fidelium cum infidelibus non sunt solvenda, scilicet si hi cum illis velint cohabitare.

Fieri enim potest, ut fidelis persona infidelem convertat: At si una alteram ad ἀποστασίαν sollicitare laboret, non erit absurdum divortium. Atqve hanc ipsam restrictionem Paulus in secundo argumento innuit & observat. Deinde ad utrumq; argumentum respondeo. *Paulus non loqvitur de matrimonio fidelium & infidelium contrahendo, sed de jam contracto*, hoc licitum esse potest, illud non. Dicit enim *Bartolus* in scholis Jureconsultorum in lege: *Non dubium*, Cod. *de legib. In jure multa jam facta tenent, qvæ tamen primò fieri non debuerunt.*

LOCI THEOLOGICI.

De Conciliis.

I. De illorum effectu & utilitate.

Concilia prosunt non tantum ad extingvenda litium & controversiarum Ecclesiasticarum incendia, sed etiam ad consolidandam & obdurandam in animis hominum veram fidem & pietatem, & ad resistendum futuris scandalis morumqve corruptelis. Hanc ob causam admoner Josue subditos suos in generali conventu, ut legi DEi constanter adhæreant, & omnem ἀποστασίαν & idololatriam aversentur. De con-

conciliorum fructu memorabile est *Eusebii* pronunciatum lib. 1. de vita Const. c. 4. ἄλλως δὲ ὁ δυνατὸν τὰ μεγάλα τῶν σκεμμάτων, ἢ διὰ συνόδων κατορθῶσαι, *i. e. aliter non possunt magnæ & graves deliberationes ad recti normam revocari, nisi per synodos.*

II. De causa efficiente & gubernante conciliorum.

Potestas convocandi concilia generalia non spectat ad summum Pontificem, sed ad *Monarcham politicum.* Similiter Conciliis præesse debent, qvorum vel causa agitur, vel qvi partium duces habet, sed viri ab omnibus probati & minimè suspecti, qvalis est in hoc textu noster Josua.

III. De Materia & forma decisionum & decretorum.

In conciliis tractentur ea, qvæ faciunt ad conservandam pacem in Ecclesia & Repub. inprimis ut vera religio sarta & tecta ad seram posteritatem unanimi studio transmittatur. Nihil autem in doctrina fidei decernendum proponendumve est, qvod cum S. Scriptura pugnat. Qvin hæc sit norma, qvemadmodum ad hanc Josue vult vitam & obedientiam posthac omnes instituere atqve conformare. Pro legitimis igitur Conciliis habenda non sunt, qvæ vel â Scriptura abducunt, vel eandem corrumpunt.

II. De causa victoriæ.

Hanc indicat Josua, cum dicit v. 3. *Cernitis, qvomodo pro vobis hactenus DEus pugnaverit.* Qvibus verbis

bis adimit sibi & omnibus victoribus propriæ gloriæ & jactantiæ materiam, & solius DEi protectionem grato animo agnoscit & celebrat. Præclarum, profectò, piæ gratitudinis & modestiæ exemplum, qvod non dicit: Ego pugnavi pro vobis, sed *Dominus pugnavit*, præbens nomini divino gloriam, juxta Ps. CXIII, 1. *Non nobis, Domine, non nobis &c.* Sic in rebus omnibus ac negotiis, qvæ nostra arte & sudore maximè videntur confecta, laudem DEo insolidum adscribamus.

QVÆSTIO III.

An liceat fideli contrahere cum infideli?

Negatur.

I. Ratio sumitur *ab iisdem causis*, qvibus connubia fidelibus cum infidelibus in præcedenti qvæstione prohibentur &c.

II. Huc accedit *DEi autoritas*, cùm dicit v. 6. *Confortamini ad non ingrediendum in gentes illas, ad reliduas illas vobiscum* (& ut *Pagninus* vertit) i. e. *nihil vobis sit commercii cum gentibus.*

III. Exod. XXIV, 15. dicit DEus: *Ne in eas pactum cum hominibus illarum regionum*; Sed contractus sunt qvoddam pactum.

E. sunt prohibiti.

Affirmatur.

I. Ratio *ab exemplo* viri probati: *Abraham* emit agrum ab Ephron Hethæo infideli, nec tamen ob id vituperatur, Gen. 23, 16.

II. Sic

II. Sic *Salomon* contrahit cum Hieran rege Tyri de cædendis Cedris & auro Ophir transmittendo 3. Reg. X, 29.

III. *â proprio Evangelii*: Qvia Evangelium non abrogat politias, in qvibus contractus cum infidelibus planè devitari non possunt.

SOLUTIO.

Resp. in genere. I. Distingvendum est *inter ipsos contrahentes*, alii sunt adhuc infirmi & ad defectioonem proni, qvales erant omnes propemodum Israelitæ, ut Deus passim de iis conqveritur, tales facilè seduci possunt, ideoq; omne prorsus cum infidelibus commercium fugiant propter seductionis periculum: Alii sunt in vera fide benè instituti, & adversus errores & hæreses probè muniti, ut defectio non sit metuenda. His non est prohibitum cum infidelibus contrahere.

Deinde distingvo *inter conversationem* cum infidelibus perpetuam, qvæ cum majore periculo conjuncta est; & inter conversationem προσκαιρον i. e. *definiti temporis*, ut cum qvis ad gentes & hæreticos iter facit, non ut cum ipsis habitet, sed ut negocium politicum aliqvod conficiat. De hac posteriore nos loqvimur. Deinde agunt rationes contra fidelium & infidelium conjugia allatæ: Unde patet responsio ad I. rationem sententiæ negativæ.

Resp. ad II. rationem: DEus non simpliciter prohibet ingredi in gentium terram, aliàs etiam exploratores non carerent culpa: sed ne qvis ingrediatur eo fine, ut eum ipsis idola colat.

Resp. ad III Cum restrictione ab eodem fine petita: interdicta sunt etiam pacta politica cum gentibus, sicuti scriptum Exod. XXIV, 15. *Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum, ne, cùm fornicati sint cum suis idolis, vocet te qvispiam.*

III. De Apostasia & Idololatria.

A vero DEo potest aliqvis deficere 4. modis.

I. *Constanter & amicè cum gentibus conversando.* Qvî enim amicus DEi manere potest, qvi cum hostibus ejus colludit.

II. *Recordando nomina idolorum.* Nam Hebræus textus sic habet: *Ne memineritis nominis DEorum ipsarum*: Sic Exod. XXIII, 13. *Nomen externorum DEorum non audietur ex ore vestro.* Attendant *nostrates Poëtæ*, qvi DEorum gentilium nomina creberrimè usurpant, qvasi carminibus suis magnum ita honorem conciliaturi. Multi adeò insaniunt poëtisando, ut idolorum titulos ad res Theologicas & divinas accommodare non vereantur, ut cœlestis Apollo i. e. *Spiritus S.* blasphema vox est, & qvæ sunt 100. aliæ. Nam idolum nihil est 1. Cor. VIII, 4.

III. *In nomine falsorum DEorum jurando.* Nam qvos jurantes contestamur, eos qvoq; invocamus & καρδιογνώσας agnoscimus, qvæ gloria soli DEo debetur. Devt. VI. Es. XLI. Vide præterea Exod. XXXIII, 13.

IV. *Cum gentibus conjugia miscendo* v. 12.

IV. De divinis promissionibus & comminationibus.

Promissionibus & comminationibus DEi semper ad-

adhæret conditio obedientiæ & inobedientiæ; Atqve hæc causa est, qvod nec comminationes pios tangunt, nec promissiones impios adjuvant. Morem igitur geramus DEo seduli, ut uberrima pietatis præmia hujus & futuræ vitæ reportemus.

V. De impiorum diuturna vita.

Multæ sunt causæ, cur DEus impios & infideles diu in his terris superesse sinat, qvos uno nutu in nihilum redigere possit, Ex illis unica hæc in textu exprimitur v. 13. ut impii sint DEi qvasi laqvei, rete, flagella & spinæ, qvibus aberrantes oves suas & filios degeneres capiat, compungat, & ad pœnitentiam compellat, aut si resipiscere nolint, planè deleat & disperdat v. 15.

LOCI POLITICI.

I. De boni principis officio.

Bonus princeps non tantùm sit sollicitus, ut se vivente Respub. floreat, sed & accuratè providere debet, ut se mortuo status imperii unus idemq; futuris seculis maneat. Hæc futurarum rerum cura maximè tangit Josuam in vitæ jam limine constitutum, qvi tum demum jucundam sibi mortem fore arbitratur, si certò sciat, subditos suos etiam posthac vero DEo constanter adhæsuros esse, qvod ut faciant, gravissima eos adhortatur oratione, non secus ac moriturus pater, qvi liberis etiam in posterum rectè vivendi normam relinqvit. Contrà beluina & diabolica prorsus vox est illa *Neronis* Tyranni: ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί, *i. e. me mortuo misceatur terra igni.*

II. De modo res communes tractandi.

Qvæ ad omnes pertinent, etiam ab omnibus in publicis conventibus tractari decet. Observat hoc inprimis Josue: Nam de veræ religionis & cultus divini propagatione in conventu generali agendum putat, & omnibus audientibus, qvid seqventibus seculis in rebus divinis omnibus, peragendum sit, publicè proponit. Nostra ætate ad eundem modum, cùm formula Christianæ Concordiæ conscriberetur, omnium ordinum consensus & judicia priùs seduló explorata sunt & cognita.

III. De fugiendis infidelium fraternitatibus & amicitiis.

Amicitia nec vera esse, nec diu durare potest inter eos, qvi fide & religione invicem discrepant. Nam ut *Ambrosius* lib. 3. Offic. cap. 16. scribit: *Inter dispares mores non potest esse amicitia.* Et *Hieron.* in epist. 103. ad Paulinum sic dicit: *Vera illa necessitudo est, & Christi glutino copulata, qvam non utilitas rei familiaris, non præsentia corporum tantum, non subdola & palpans adulatio: sed DEI timor & divinarum scripturarum conciliant studia.*

IV. De postremis virorum præstantissimorum verbis.

Qvæ Josue loqvitur morti jam vicinus, ea re ipsa ait completum iri. Solet enim fatale qvoddam pondus sermonibus sanctorum virorum inesse, qvos DEus ex hac vita emigrare jubet, & altiores plerumq; radi-

ces

ces in eorum, ad qvos fiunt, animis, agunt, qvæ ab ipsis in ejusmodi statu proferuntur. Hac de causa eximi qvoqve viri, sibi non prius ex hac vita emigrandum putârunt, qvam suos gravissimis verbis admonuissent, ut *Jacob* Gen. XLVIII, & XLIX. *David*, 1. Reg. II. *Tobias* c. IV. Sic Christus circa passionis tempus præclaros cum discipulis suis sermones gerit.

CAPUT XXIV.

ITerum adhortatur Josue populum ad constantiam in vero DEI cultu, ne sint ingrati pro universis beneficiis, qvibus inde â Patrum seculis affecti erant plurimis. Hi verò defectionem toto animo detestantur: qvibus sic peractis & lapide in testimonium fidei erecto confirmatis, Josue & Eleazar vitam cum morte corporali commutant.

Partes sunt qvinq; I. est διήγησις καὶ σύστασις i. e. *enarratio & commendatio* præcipuorum beneficiorum, qvibus DEus Judæos cumulaverat, usq; ad v. 14.

II. Pars est ἀπόφασις ad constantem DEi dilectionem v. 14.

III. ἐξέτασις seu δοκιμασία i. e. *inqvisitio & probatio* spontaneæ obedientiæ populi usq; ad 25. cap.

IV. βεβαίωσις seu *confirmatio* promissæ obedientiæ & constantiæ usq; ad v. 29.

V. Continet obitum Josuæ & Eleazaris, usqve ad finem.